

78

Nuptiis verè secundis
AMPLISSIMI VIRI,
VIRTUTE, SAPIENTIA ET
AUCTORITATE EXCELLENTIS
Dn. Matthiæ Colbij in Saganensi Silesiæ
ducatu inclytæ aulæ Promnitzianæ
à secretis &c. iterum sponsi.

Et

HONESTISSIMÆ,
PUDICISSIMÆ, ATQUE
OPTIME MORATÆ VIRGINIS,
Sponsæ ipsius, unicè dilectæ Catharinæ Volc-
maria, Filie Charissimæ viri Amplissimi &
integerrimi, sapientia, auctoritate, omni vir-
tutum genere & multarum rerum experien-
tia præstantissimi Dn. Gregorij Volcmarij
inclytæ. Reipub: Lipsensis Senatoris
& ciuis primarij &c.

Lipsiæ 7. Februarij iuxta fastos
Iulianos celebrandis.

Gratulantur

Affinis & Amici.

VVITEBERGAE,

Ex Officina Cratoniana.

ANNO M. D. XCII.

20.



Vota Sponsis Lectissimis

Confecrata: nec non annum celebrata-
rum nuptiarum complectentia

ArDVa ContIngat Cœplts ConCorDia nVptæ
TVrtVrls; & CerVI Longlor aVra Vagl.

A L I V D.

ACtIBI faVsta beet sanCtVs ConnVbla ChrlstVs
QVo slne nL faVstVM, sponse benlgne, preCor

*Michaël Hermannus Saganus,
Silesius.*

Distichon annum, Mensẽm & diem
nuptiarum exprimens.

SeptlMV s vt roseo FebrVarll sVrglt ab ortV
Sponsl IneVnt faVstl fœDera Læta torl.

Inter Spirandum Semper Spero.

Aliud eundem annum, Mensẽm
& diem denotans.

Blnl IneVnt Bober & tenVls bona fœDera ELlster
SeptlMus vt sponsls FebrVVs ortVs erat.

Iesus Sperantes Saluificare Solet.

FATO CONNUBIA

F I V N T.



Væritur; An fato fiant connubia?
nostris

An votis? D E V S hæc fataq;
votaq; agit.

Scilicet Elysiis non dignæ an ha-
bentur in oris

Quæ possint casto concubuisse toro?
Fama refert, huius si quis modò limina terræ
Tangat, & hîc cælebs perstet, eum esse virum.
Ipse vir est vultus possit qui vincere formas
Forma animi; vultu menteq; forma valet.
In promptu causa est: F A T O connubia fiunt:
Et voto fiunt: fataq; vota regunt.
Sed fatuum est animi ceptum, quod fata recusat:
Et votis nimium quod dat, id est fatuum.
Qui sapit, is fato votum coniungit: id omne
Committens soli, qui regit omne, D E O.
Quisquis amoris amat casti sacra semina; sanctū
Coniugij autorem ducit amatq; D E V M.
Quisquis amoris amat casti sacra semina, sanctū
Coniugij casto foedere vinculum amat.
Quisquis amoris amat casti sacra semina; castam
Is vitæ sociam ducit amatq; suæ.
Ergo tibi vitæ comes hæc dum contigit, illam
Coniugiumq; piū ducis, amasq; D E V M.

A 2

Quis

Quisquis amoris amat turpis vaga femina: castū
Odit coniugium, spernit & ipse DEVM.
Crede mihi, thalamum qui obseruat, benè viuit,
& intra

Coniugium debet quisq; manere suum.
Hæc animo memori dum dulcis amice reuoluis,
Coniugium atq; DEVM coniugem amasq;
piam,

Ergò tuum formosa torum iam virgo decorat:
Sicq; sacris ornas legibus ipse torum,
Scilicet ipse DEVS monumenta & pignora amoris
Reddet ; & hinc vitæ præmia summa feres.
Fatorum Præses votis bona fata benignis
Adplicet ; hic reddat vota q; firma: Vale.

*CL. Feb. Anno Chrristi
nati 1592.*

*M. Melchior Gerlachius
L. Baronum Promniciozum &
Collovradii in Acad. VViteb:
Præceptor A. E. O. E. F.*

Fatum

Fatum coniungit

Amantes.



*Ecce bina locis qua iungat distita
amantium*

*Longinquis, causa est prouida
cura DEI.*

Nam nihil in mundo geritur (mirabile dictu)

Quod non eueniat, prospiciente DEO.

Mat. io. v. 29.

Biblia sacra probant, coma quod de vertice nostri

Nulla cadat capitis, non moderante DEO.

Testibus haud opus est, circūspice facta per orbē,

Quod regat altitonans omnia, certus eris.

Multa sibi proponit homo ratione sagaci,

Certa futura sibi, quae sine Lite putat.

Sed quod propositis hominum contraria tandem

Exitus acta probet, prouida cura DEI est.

Vxorem quod ducat anum florentibus annis

Formosus Iuuenis, prouida cura DEI est.

Quodq; seni nubat praestans & nubilis annis

Culta puella viro, prouida cura DEI est.

Pauper inopsq; viri, quod virgo, diuitis aris,

Ingreditur thalamum, prouida cura DEI est.

Et quod diues agris, positusq; in faenore nummis,

Virgo inopi nubat, prouida cura DEI est.

Cur Iuuenis patria peregrinis missus in oris

Vxorem ducat, prouida cura DEI est.

A placita Iuuenis quod virgine saepe repulsam

Fert spe frustratus, prouida cura DEI est.

Interdumq; homines fieri quod posse negabant

Quod subito fiat, prouida cura DEI est.

A 3

Deniq;

Deniq; quod thalamo peregrino iungitur vxor
 Extera sponsa viro, prouida cura DEI est.
 Hac fieri indoctum vulgus putat omnia casu,
 Quæ fiunt fato consilioq; DEI.
 Ille DEVS qui corda creat, qui pectora mulcet,
 Pro libitu ille hominum pectora & acta regit.
 Quid verbis opus est? thalami quod fœdera Iouæ
 Consilio fiant, candidè Sponse, probas.
 Pectora non vaga sors iungit, sed fata DEVSq;
 Coniugio stabili: fatum in amore valet.
 Fatū in amore valet, plus quam votū, aurea dona,
 Non casu, at fato iungitur omnis amans.
 Fatum coniungit, fatum disiungit amantes,
 Et fato in thalamum bella puella venit
 Coniugis in thalamū datur vxor honesta pudēsq;
 A domino, Iouam qui pietate colit.
 Sed quò de labor? votis tibi sepè petitam
 A domino vxorem fatum in amore locat.
 Inunc & dubita fatum coniungere amantes,
 Iungitur Elysiō Lipsica virgo viro.
 Quare, Epicure, tuam versat vecordia mentem,
 Quod casu fingis vincula sacra regi.
 Ergo, iuncte mihi consanguinitate propinqua
 Sponse, mihi semper patris habende loco.
 Quod nos ad tædas sollemnes voce suāui
 Inuitet digitis littera scripta tuis.
 Hic ubi Misniacas inter caput extulit vrbes
 Lipsia, qua vitreas voluit Elister aquas:
 Laudo propositum, quamuis via longa resistat,
 Artesq; humane Piëridumq; labor.
 Attamen ad tædas Musis & Apolline cinctus,
 Sponse, tuas venio motus amore tui.

Prouerb. 19.
 vers. 14.

Sed

Sed quoniam est moris, Sponsis applaudere versu,
Vt benè succedant fœdera cœpta tori.
Nostra Thalia canet natura signa iugalis,
Et faciet sponsis prospera vota nouis.
Pectora qui iungis DEVS OPTIME, MAXIME amantùm,
Quo sine nil hominũ cura laborq; valet:
Annue conanti: lapsantem dirige mentem,
Ingenium nutu statq; ceditq; tuo.
In sublime oculos, thalami qui fœdera spernis,
Attolle atq; vide lumina bina polo.
Sol qui terrarum flammis opera omnia lustrat,
In cœlo iusti fert simulacra viri.
Aurea noctiuago curru qua pulsat olympum
Phæbe, fœminei sexus imago tori est.
Vt splendet Sol & pallentes discutit umbras,
Sed Phæbe obscura est inferiorq; loco.
In thalamo sic vir præcellit honore maritam,
Subdita sed proprio est uxor honesta viro.
Vt Sol illustrat radiorum lumine lunam,
Sic decus uxoris lumen honosq; vir est.
Cum cœunt claro duo fulgida sydera cœlo,
Legitimi referunt fœdera casta tori.
Vt fit defectus Solis, cum Cynthia Phæbo
Obiacet, & tellus inter utrumq; sita est.
Sic mulier regnans, sese opponensq; marito,
Inducit tenebras coniugiumq; grauat.
Insitus arboribus ramus sub cortice, in ipso
Stipite concrescens, fœdera sacra refert.
Mutuo amore uigent & amant se sensibus imis,
Soluere nec iunctos lis inimica potest.
Fœdere sic arctè thalami duo pectora iuncta,
Nil præter mortem soluere in orbe potest.
Quod

Quod mirum est cœlū atq; solū persape videtur,
Legitimi certum fœdus inire tori.
Nam cœlum terras complectitur æris vlnis,
Et terra tractus imbri cadente rigat.
Mox intra gremium collectas concipit undas,
Et viret egregia fertilitate solum.
Hinc fœcunda parit terra abdita semina sulcis,
Fœta utero veluti mater honesta parit.
In plantis etiam vitæ sunt signa iugalis,
Vitis amans vlmum, viuuda imago tori est.
Plurima quid refero, mollesq; recenseo vites,
In duris blandus cotibus ardor inest.
Frigore concretus natura succinus humor,
Ad sese stipulas cum calet, arte trahit.
Et Magnes ferrum ad sese virtute latenti
Attrahit, en lapidum robora mollit amor.
Cur homo non hominis teneatur amore puella,
Quem primò inseuit cordibus ipse DEVS.
Cuius tot menses geritur sub pectore, in auras
Qui tandem æthereas nascitur omnis homo.
Cuius lacte alitur: cui grata alimenta ministrat
Vbera, Sythonia candidiora niue.
Cordibus adiungit, quæ matrum Ioua, bibendo
Ex his ut sœgyw nata propago trahat.
In cuius manibus, dum discat figere gressus,
Portatur, cuius pendet ab ore puer:
Cur has non meritò redamaret mascula turba?
A quibus accipimus multa, referre licet.
Exigit hoc pietas, Iehouæ iussa requirunt,
Vno ut iungantur fœmina virq; toro.
Ergo mandatum exequeris, celeberrime, Iouæ,
Sponse, iterans thalami fœdera casta tori.
Dum

Dum voto & fato, prestans iuuenilibus annis,
 In thalamum properat pulcra puella tuum.
 Virgo noua cera similis, rasæq; tabellæ est,
 In qua nulla unquam littera scripta fuit.
 Hæc facile sequitur dilecti iusta mariti,
 Coniugis & mores imbuit illa novos.
 Hæc utinam primæ vestigia tuta sequatur
 Coniugis, in cælo quam bona fata tenent.
 Quæ tibi, Sponse, decens pia, iusta domiq; forisq;
 Omnibus in rebus sedula casta fuit.
 Plura loqui prohibet dolor, & quæ gaudia poscit
 Tempus, dum fiunt vincula casta tori.
 Hic ubi pulcra sita est, multas memorata per oras
 Lipsia, qua clarus voluit Elister aquas.
 Ecce cateruatim tendunt ad mœnia in altis
 Curribus, insignes gloria & arte viri.
 Illustri à PROMNITZ geniti de stirpe Barones,
 Quorum fama replet Solis utramq; domum.
 Nobilitate viri & præstantes fortibus ausis
 Ad tædas veniunt, optime Sponse, tuas.
 Atq; alij innumeri, quas clara scientia IVRIS
 Condecorat, quorum fama perennis erit.
 Quid memorem pompam celebrem? quid lecta virorum
 Corpora, quos virtus inuehit alta polo?
 Qui benè flectendo certa ratione gubernant
 Quadrupedes cursum, aut colla fugacis equi.
 Obuia dum fiunt iuuenilia pectora Sponso,
 Et Sponsis faciunt prospera vota nouis.
 Quadrupedis fuluum stantes sub dentibus aurum
 Mandunt, & sonipes calcitrat arte solum.
 Verum hæc præteriens memoranda relinquo poëtis
 Et nostræ ad portum dirigo nauis iter.

B

En

En Catharina datur tibi, præstantissime Sponse,
Moribus aucta pijs, dotibus aucta bonis.
Primum laudatis est orta parentibus illa,
Æternum quorum fama decusq; manet.
Nam Phylira est genitor præclarus in urbe Senator,
Quem Res Lipsensis publica & aucta probat,
Nota viri virtus in agendis inclyta rebus,
Quam multum ingenij nobilitavit honos.
Quod mercatura studeat, non infima laus est,
Illum nam patria commoda multa mouent
Nil dicam de matre pia & virtutibus aucta,
Matronarum ingens quæ decus esse potest.
Ergo bonis cum sit clarisq; parentibus orta,
Virtutum didicit prima elementa DEI.
Exitit à teneris virtutum strenua cultrix
Filia & in primis est studiosa DEI.
Nobilis est opibusq; potens, formaq; decora
Sponsa, nec illius verba lepore carent.
Ex oculis lucet probitas, è pectore candor,
Aspice sit roseus quantus in ore color.
Hec Catharina Charis tota est, & gratia tota
Quod decet omne facit, quod facit omne decet.
Ciuilis tota est, ciuiliber omnia præstat,
Moribus exculta est, & pietatis amans
Germanæ linguæ, varijs Catharina, decenter
Ingeniosa modis, Attica verba facit.
Attica verba facit selecta, notata probata,
Quæis hominum ex animo flectere sensa potest.
Arguti in facie radiant, ut Sydus, ocelli,
Maxima quæ flammæ caussa fuere tuæ.
In vultu color est permixtus utroq; colore,
Candida quem referunt lilia mixta rosis.
Collum

Collum uincit ebur, niueum Lac ubera vincunt
Candida, puniceis splendidiora rosis.
En crines capitis per eburnea colla fluentes,
Prolixas imum sub pedis usq; genu.
En tenerasq; manus pariter, digitosq; tenellos,
Quos decorat rubro gemma reperta mari.
En niueo ut pendent aurata monilia collo,
Crystallusq; albas ornat aquosa manus.
Qualia pinguntur succineta crura Diana,
Talia sunt nupta, qua tibi, Sponse, datur.
Pes illi exiguus, pedis est aptissima forma,
Non habet in toto corpore menda locum.
Ingreditur castè, decorat vestigia gressus,
In pedibus magni causa decoris inest.
Blanda, modesta, decora, tenella, pudica, fidelis,
Officiosa domi, relligiosa foris.
Singula quid referam? nil non laudabile praestat,
Quod vitam & sexum condecorare queat.
Illius aspectu Pylius iuuenescere posset
Tuihonusq; annis fortior esse suis.
Hac Paradisus erit tibi, Sponse, & florida tempe,
Queis recreare potes cor animumq; tuum.
Ardebis cum te roseo vocet ore maritum,
Verbis, non herbis conciliatur amor.
Præterea sponsus, varijs virtutibus auctus
In thalamum ingreditur, virgo pudica, tuum.
Aula cui certo secreta negotia credit,
Promnitzina domus, quem fouet aula simul.
Concipe nunc votū cum Sponsa, Amplissime Sponse,
Qui facis auspicijs, quod facis omne DEI.
Gludine qui firmo duo pectora iungis amantum
Ioua DEVS, firma pectora iunge fide.

Effice perpetuum florentis fœdus amoris,
 Floreat amborum nec moriatur amor,
 Exulet à thalamo Lis & discordia vultu
 Liuida, succedat pax & amata quies,
 Fac superent ambo longæ Nestoris annos,
 Ambobus parcat Parca maligna diu.
 Sponse, illibatum CATHARAE decerpe pudorem,
 Pectore pura venit, corpore pura venit,
 Brachia nunc extende, tuum complectere pectus,
 Candidius cygno, pectore, lacte, niue.
 Hanc Charites CATHARAM primis aluere sub
 Ambrosio & dulci nectare amore, fide. (annis
 Et Catharina tuum complectere amore maritum,
 Nam Charitum fors est, ut redameris ama.
 Coniugium vestrum sit felix pace repletum,
 Quo nihil in terris dulcius esse potest.
 Turtur ut unanimes concors cum compare viuit,
 Applicat & rostris rostra tenella viri.
 Iungite sic manibusq; manus atq; oribus ora;
 Mutuus ardor alat pectora iuncta fide.

Heliotropium. Plin. lib. 2, naturalis historiae cap. 42. Est herba insignis radijs auidissima Solis,
 Quae bona coniugibus fert documenta pijs.
 Ad quamcumq; plagam cursum direxerit Orbis
 Cynthius, à cæli cum vehit axe diem.

Hunc sequitur folijs conuersis Solis ad astrum
 Semper, ut hoc folijs intueatur amans.
 Hesperias quando est Titan abiturus in undas,
 Mox se in folliculos complicat herba suos.
 Hanc inter plantam & Solem Concordia tanta est,
 Qua vox in terris pulchrior esse potest.
 A Solis radijs nunquam herba ad amata recedit,
 Nube licet sol sit reclusus in axe poli.

Hac

Hæc herba & Phæbus, vos bina in amore iugali
Erudiant iusto pectora iuncta toro.
Alterum ab alterius nunquam deflectat amore,
Propria ab alterius pendeat ore salus.
Viuite corde pari si Phæbus fulserit axe,
Nubila si fuerint, viuite corde pari.
Vos lethum in terra soluat, sed iungat olympo
Christus, qui mortem vicit & astra tenet.
Et quoniam nati charissima pectora lecti
Existunt, sine queis nobile stemma perit.
Non sterilis decus est, sed fertilis arbor in horto,
Est sine prole domus, quod sine Sole polus.
Da DEVS ut videant multos sine labe nepotes,
Qui proprium studeant amplificare genus.
Laudibus ut tollant ad rosida sydera cæli
Nomen, queis semper viuat, uterq; parens
Vxoris parere & proprio parere marito est,
Coniugis est costam cingere honore suam.
Postremo ut voto carmen claudatur amico,
Hæc Sponsis toto pectore & ore precor.
Fulgeat in thalamo Sol, absint nubila, sponsum
Letanti virgo candida prole beet.
Hæc vobis Sponsis cælo nitidissimus alto,
Lucifer admisis omnia portet equis.

Ioachimus Schlegelius Saganus Silesius
Sponsis affinitate sibi coniunctis, coniu-
gium felix, tranquillum & proli-
ficum precatus. F.

B 3

ALIVD.

ALIVD.

ADsis benigne nuptijs
DEVS nouis : arctissimo
Constringe corda vinculo :
Et fac beatos coniuges.
Sint COLBE cuncta prospera
Precor tibi, felicia :
Tuæq; Sponsæ gratulor :
Preces piæ nunquam irritæ,
Tinctæ sagittæ sanguine
Vobis maligni Dæmonis
Nullo nocere tempore
Possint, DEVS vos protegat,
Fauente sorte: mutuum
Sit gaudium: Sit mutuus
Dolor, premente; Et sic malum
Bonumq; ferte mutuò.
Hoc præcipit DEVS: probant
Homines: parentes gaudio
Hoc afficit pios: leues
Duros dolores efficit.
Casti thori autor est DEVS:
Seruator idem: comprobat
Ignes pios: sed improbat
Faces maligni pectoris.
Pax aduolet vobis: fides
Sit pacta constans: Iurgia
Abeste; si quid est boni
Vsq; opto, Solus det DEVS.

M usarum H onores
S unt S empiterni.





18. Nov 1996

Nh 1217

ULB Halle 3
001 600 079



TA → OL







Farbkarte #13

B.I.G.

78

Nuptiis verè secundis
AMPLISSIMI VIRI,
VIRTUTE, SAPIENTIA ET
AUCTORITATE EXCELLENTIS
Dn. Matthiæ Colbij in Saganensi Silesiæ
ducatu inclytæ aulæ Promnitzianæ
à secretis &c. iterum sponsi.

Et
HONESTISSIMÆ,
PUDICISSIMÆ, ATQUE
OPTIME MORATÆ VIRGINIS,
Sponsæ ipsius, unicè dilectæ Catharinæ Volc-
maria, Filia Charissimæ viri Amplissimi &
integerrimi, sapientia, auctoritate, omni vir-
tutum genere & multarum rerum experien-
tia præstantissimi Dn. Gregorij Volcmarij
inclytæ. Reipub: Lipsensis Senatoris
& ciuis primarij &c.

Lipsiæ 7. Februarij iuxta fastos
Iulianos celebrandis.

Gratulantur
Affinis & Amici.

VVITEBERGAE,
Ex Officina Cratoniana.
ANNO M. D. XCII.

20.